

tis; sed videt quod ex parte rei cognita quolibet dato, aliud melius fieri potest in infinitum. Secundo dicitur, quod quolibet producto, potest Deus facere perfectius perfectione contenta intra limites alicujus generis, non excedente illos: perfectio autem intra terminos clausa, solum est major in infinitum syncategorematicæ et modo proportionali, non in actu, et categorematicæ, hoc enim extra omnes terminos est: omnes autem res possibles intra terminos alicujus generis sunt, et omnis magnitudo aut numerus, species quædam est.

Quod si petas quæ est causa, cur dicatur Deus videre multitudinem infinitam, hoc ipso quod videt omnia possible, vel aliquam multitudinem sine termino, quia videt omnia illa simul, ex eo autem quod videat magnitudinem omnem, vel species quas potest facere in infinitum, non dicitur videri aliquam speciem, vel magnitudinem actu infinitam, respondetur quod ad multitudinem syncategorematicæ infinitam, et in potentia nihil deest nisi quod simul in actu ponatur, ut reddatur infinitum actu, hoc autem consequitur beneficio intellectus simul in actu videntis ea quæ non sunt simul, sed syncategorematicæ, et in potentia infinita. Ut autem detur magnitudo infinita, non sufficit simul apprehendere plures, vel omnes magnitudines, quæ cognoscuntur fieri posse, sed requiritur quod cognoscatur una magnitudo extra omnem terminum extensa et actu infinita, hæc autem non est possible ex parte rei cognita.

Ad tertium ibi responsum est, nec enim potest produci Angelus nisi in aliquo determinato instanti, et cum post illud instans non sequitur aliud immediate sed aliqua pars, in qua involvuntur infinita instantia indeterminata, quando in alio ins-

tanti producitur alius Angelus, jam sunt transacta infinita instantia in illa parte immediata, in qua non fuit productus Angelus. Ad replicam respondebitur in libro VIII, q. XXIV, ar. II, ubi ostendimus non potuisse dari motum ab æterno. Unde si producerentur ab æterno Angeli non per dies successivos, sed extra omne tempus deberent creari, et sic perinde est atque creare infinitos unica productione, quod repugnat.

Ad quartum respondetur, non repugnare, quod Deus cognoscat infinita simul in actu ex parte cognoscentis, imo et Christus cognitione creata. Ratio est, quia infinitum non repugnat si sit contentum in alio antecedenter existente, sive finito, sive infinito. Et sic Christus cognitione creata cognoscit infinita, ut contenta in aliquo finito, scilicet in specie sub qua continentur individua, et ad quam tendit directe representatio speciei. Et similiter Deus cognoscit infinita ut contenta in sua essentia, et derivata ab ideis, et in æternitate continentur infinita non in actu proprio, sed alieno, scilicet in mensura ipsius æternitatis, quæ infinita et increata est: infinitum autem sub tali esse in infinito, et increato contineri non repugnat, sed in esse proprio, et creato quod limitatum est et terminatum, neque est necesse, quod omne quod Deus cognoscit, possit facere eo modo quo cognoscit ex parte cognoscentis sed eo modo, quo cognoscit ex parte rei cognita et factibilis: imo potius modus ex parte cognoscentis solet opposito modo se habere ad modum ex parte rei cognita existendo in se entitative et materialiter, in cognoscente immaterialiter.

Ad ultimum respondetur repugnare infinitum ex parte rei factæ. Ad primam instantiam dicitur, quod hoc ipsum quod quantitas est finitæ essentia, debet habere in re fini-

tam terminationem, præsertim cum in quantitate ex diversa terminatione sumatur determinata species, vel individuatio quantitatis, et infinitas in actu non est passio quantitatis, sed syncategorematica.

Ad secundam instantiam jam supra diximus, quod si esset corpus infinitum, tantum esset unum, plures autem lineæ infinitæ non ita repugnant, si in abstracto, et quasi mathematicè considerentur, in re autem non potest poni linea infinita, nisi subiectetur in corpore infinito.

Ad tertiam respondetur, quod Deus potest omne possibile eo modo quod possibile est:

potest autem infinitum divisivo, et modo determinato, non collectivè, et modo infinito, et indeterminato, sicut potest fieri album, quod sit nigrum et sedens stans non conjunctim, sed divisim.

Ad confirmationem respondeatur, quod dato illo impossibili, adhuc non sequeretur infinitum in actu, quia operaretur secundum ultimum potentia non absolute, sed secundum applicationem ad capacitatem finitam subiecti creati, vel obiecti producendi, sicut persona Divina non potest infinito modo personare naturam creatam.

CIRCA LIBRUM QUARTUM, DE LOCO, VACUO, ET TEMPORE.

QUÆSTIO XVI.

DE LOCO, ET UBI.

Quatuor in hac quæstione tractabimus. Primum, de quidditate loci intrinseci, et extrinseci. Secundum, de subiecto seu re locata, cui convenit esse in loco. Tertium, de repugnantia duorum corporum in eodem loco. Quartum, de repugnantia unius corporis in duplici loco.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit locus extrinsecus, et immobilitas ejus?

Locus physice, et proprie acceptus significat id quod motu locali acquiritur. Et solet distingui duplex

locus, alter extrinsecus, alter intrinsecus. Extrinsecus est corpus illud, sive superficies, qua circumscriptur, et continetur ipsum locatum. Intrinsecus est ipsa præsentia passiva rei locatæ, quæ dicitur *ubi*: est enim ubi forma, seu modus intrinsecus proveniens a loco extrinsecus circumscriptente, ut a quo provenit principaliter denominatio locati. Et sunt aliqui, qui existimant hoc ubi, seu præsentiam intrinsecam ignotam fuisse Aristoteli et antiquis, inventam autem a recentioribus, eo quod Aristoteles VIII Phys. tex. LIX, et D. Thomas ibi, et I, p. q. cx ar. III et II. contra Gent. c. XIII, docet motum localem terminari ad aliquid extrinsecum. Cæterum hi phrasin, et modum loquendi D. Thomæ non attenderunt, qui in sex ultimis prædicamentis non negat modos intrinsece afficientes

subjectum ut probavimus in Logica, q. XIX; sed quia isti modi non sunt omnino absoluti, sed ab aliquo extrinseco provenientes, et ab eo, ut a principali denominante dependentes, cum ubi sit passiva subjectio ad id quod circumscribit quasi active, ideo solet D. Thomas dicere, quod sunt aliquid extrinsecum, non tamen sunt extrinseca denominatio pura, alias enim sæpe fatetur D. Thomas dari ubi; et subjectari in ipso mobili. Nam motum ad ubi expresse ponit Philosophus in hoc libro v c. i, et v, Metaph. tex. XIV, et XI Metaph. lect. XII apud D. Thomam. Quod vero subjectatur in ipsi mobili, aperte dicit opuscul. XLVIII, tract. de ubi, c. i, dicens: « Quod motus localis subjective est in eo, quod movetur: nihil autem acquiritur in re mobili, nisi ubi, quod est respectus loci ad locum ut circumscribit illud. » Et in q. IV de Virtut. art. XI ad 3: « Alio modo, inquit, potest intelligi motus secundum essentiam, si sit motus secundum quodeunque adhærens essentialiter moveri, quando movetur secundum locum, quia de loco ad locum, ejus subjectum transfertur. » Non ergo negat S. Thomas præsentiam, seu ubi inhærens, ipsi rei mobili, sed negat esse modum ita absolutum quod sit independens ab extrinseco circumscribente, et locante, præsertim si sumatur ubi adæquate, et complete, ut magis explicabitur articulo secundo et questione sequenti.

Igitur in hoc primo articulo explicabimus primo locum extrinsecum, quem Aristoteles definivit in hoc IV. libro, c. IV, quod locus est *ultimum corporis ambientis immobile primum*, id est, superficies corporis, quæ immediate, seu primo continet, et locat aliquid locatum. In qua Aristotelis definitione tres difficultates explican-

dæ sunt. Prima est, circa genus loci; an sit superficies continens, vel spatium et distantia extensa. Secunda, circa differentiam loci, quomodo scilicet sit immobilis, et primum. Tertia, an ista particula se habeant per modum generis, et differentia, an per modum subjecti, et accidentis.

Circa primam difficultatem, amissionis antiquorum opinionibus, quas refert, et impugnat Aristoteles hoc libro IV, c. I et II, constat, quod locus non potest esse aliquid pertinens ad ipsum locatum, sive tanquam materia, sive tanquam forma, sive tanquam accidens aliquod intrinsecum, et a nullo extrinseco dependens; cum videamus mutari locatam de loco ad locum, nullo suo intrinseco deperdito. Unde restat, quod locus vel debet collocari in ratione spatii, quod occupatur a corpore, vel in genere superficiei, quæ circumscribit, et continet locatum. Qui ergo existimant locum esse ipsum spatium, bifariam partiti sunt. Quidam enim ex antiquis dixerunt, illud spatium esse aliquid reale per modum ejusdem dimensionis interminatæ, quæ haberet longitudinem, latitudinem, et profunditatem; et ita cum occupetur a corpore, quod locatur in tali spatio, penetratur talis dimensio cum corpore locato. Alii vero dicunt hoc spatium, quod occupatur a corpore locato, non esse aliquid reale, sed est capacitas replebilis corpore, sicut distantia imaginaria, quam replet totum hoc universum. Quæ opinio valuit apud plurimos antiquos, et recentiores, ut testantur Conimbricenses hic, nec longe absunt ab ea, quidam, ubi constituitur per ordine, ad spatium imaginarium, quod præsertim verificant in motu, qui fit per vacuum positive.

Cæterum, quod locus non consistat in solo spatio isto imaginario,

colligimus, tum ex ipso motu locali, qui cum sit realis, debet tendere ad aliquid reale, et non solum ad ubi, quia ubi non est aliquis modus absolutus, vel independens ab extrinseco circumscribente, sed ab eo resultat, et in eo rem locat, ut dicemus articulo sequenti, tum etiam id colligimus ex motu naturali; constat enim res naturales ipso impetu naturæ ad certa, ac determinata loca tendere, ut ibi conserventur, aut a contrariis defendantur: si autem locus esset solum illud spatium imaginarium, quod est nihil, non haberet magis conservare rem locatam in hoc spatio, quam in alio, nec magis ad id conduceret, cum sit nihil. Necessario ergo requiritur aliquid reale ad locum naturalem, et non corpus, quod penetraret cum alio, quia hoc est impossibile; ergo, quod contineat, et circumscribat aliud. Et cum non possit circumscribere, nisi ratione superficiei ambientis; siquidem locus adæquari debet locato, nec dicimus hominem existere in toto aere, sed solum ea parte, in qua circumscribitur, consequenter locus debet constitui in superficie ambiente, quæ corpori contigua est.

Quod si dicas: Cur non dicemus locum esse illud corpus non a quo aliquid circumdatur, sed in quo sustinetur, verbi gratia, sedes in qua sedet, terra in qua stat, respondetur, quod etiam tunc corpus sustentans non tangeret locatum, nisi per superficiem corporis sustentantis. Non tamen dicitur locus solum corpus sustentans, quia non adæquatur locato, solum enim secundum unam partem tangit, non autem circumscribit locatum. Requiritur ergo, corpus infra sustentans et tengens, sed non sufficit ad rationem loci: unde si aliquid corpus ponatur in ultima superficie mundi, non esset in loco nisi secundum quid, et ex parte,

Secunda difficultas est circa immobilitatem loci, quæ se habet, ut ejus differentia. Et est unum certum apud auctores, aliud est dubium. Est certum, locum absolute debere esse immobile; tum, quia in hoc distinguitur locus a vase, quod vas continet mobiliter, movetur enim cum re contenta, locus vero non movetur; tum, quia locus habet rationem termini a quo, qui deseritur, et termini ad quem, qui acquiritur per motum: implicat autem, quod terminus a quo moveatur; sic enim portaretur a motu ipsius mobilis, non desereretur. Similiter locus, qui est terminus ad quem, non movetur, quia in eo sistitur motus tanquam in termino; locus ergo, ut terminus motus non movetur; alioquin si locus moveretur, ad aliquem locum deberet moveri, et sic daretur locus loci, et iterum ille alius locus, deberet moveri ad alium locum, et sic esset processus in infinitum. In hoc ergo omnes conveniunt.

Difficultas autem est, ratione ejus conveniat loco ista immobilitas. In quo triplex occurrit sententia. Prima Martinii in illustri præsentis capituli. Qui dicit Aristotelem pugnantia docuisse, cum ex una parte tribuit loco immobilitatem, et ex alia constituit in superficie, superficies autem mobilis est. Nec valet dicere, quod est immobilis non per se, sed ratione fixationis in polo, et centro mundi, respectu quorum locus est immobilis: sic enim locus non esset immobilis per se, sed per accidens, id est, per aliud; et consequenter non esset per se terminus motus, quia terminus motus per se debet esse immobilis. Item, quia vel debet negari, quod motus localis sit actio, vel debet concedi actio sine termino: nam si actio est, necessario debet terminari ad aliquid in ipso mobili, quod immutat, cum tamen motus localis secundum Aristotelem

solum ad extrinsecum terminetur quod est nihil facere, cum extrinsecum illud non fiat, sed comparetur. Quare ipse immobilitatem loci in immobilitate ubi constituit, ut sequenti articulo videbimus.

Sed hæc puerilia sunt, ut tanto Philosopho possint opponi. Et illud primum fundamentum adducitur, et solvitur a D. Thoma in IV Phys. lect. VI, super tex. XLII, et opusc. LII, ut statim afferemus in solutione sequentis difficultatis. Secundum vero fundamentum nihil probat, quia illa actio non facit de novo superficiem ambientem, sed facit in ipso locato subjectionem, seu passivam circumscriptioem ad talem superficiem, et hoc est ubi, quod nec Aristoteles nec D. Thomas negarunt, ut supra vidimus, sed quia est modus ordinatus, et dependens ab extrinsecum circumscribente, dicitur locus extrinsecus esse terminus motus, subintellecto tamen modo illo intrinsecum, quo illi passive subicitur corpus.

Secundo, Scetus in quodlib. XI, et aliis locis locum constituit formaliter in ipsa continentia activa loci ad rem locatam, quæ continentia apud ipsum relatio est. Hæc autem continentia, et relatio licet physice mutetur, alia et alia superficie adveniente, tamen secundum æquivalentiam non mutatur, quia in ordine ad motum localem perinde se habet, ac si esset una tantum relatio: sicut hæc vox homo dicitur idem significare, licet sæpius repetatur.

Tertia sententia sumit immobilitatem loci per ordinem, et connotationem, spatium imaginarium, quod negative est immobile, ita Conimbricenses hic quæst. I, artic. II; Cabero tract. IV, disp. I, dub. I. Ad quam sententiam accedunt, qui dicunt definitivam præsentiam in loco esse immobilem, quia sumitur per ordi-

nem ad polos mundi veros, vel imaginarios; circumscriptivam vero non esse immobilem; de quo videatur Fuente IV Physic. quæst. I, difficult. I, artic. II ad I.

Cæterum quia D. Thomas I Phys. lect. VI, et opus. LII, aliisque locis secutus Aristotelem etiam salvat immobilitatem loci positivo modo in ipso loco, et corpore ambiente, oportet immobilitatem loci non solum negative, sed etiam positive explicare.

Pro quo notandum est quod locus non est sola superficies, ut inhærens corpori locanti, sic enim non est magis immobilis, quam superficies locali, et movetur moto ipso corpore, cui inhæret. Nec est ipsa superficies, ut præcise continens aliud; sic enim etiam invenitur in vase, quod continet liquorem, et movetur cum illo; locus autem, ut dicit Philosophus est vas immobile. Quare locus debet esse superficies continens, secundum ordinem situs, et distantie, et positionis in universo; hoc enim præcise nomine loci significamus, et distinguimus diversa loca secundum diversas positiones, in quibus ordinantur: qua etiam ratione metaphorice sumitur locus ad designandam diversam dignitatem qua homines ordinantur, et constituuntur in republica.

Ex his ergo dicimus triplici modo posse explicari immobilitatem loci. Primo, ratione distantie negativæ, quam locus præsupponit, licet non in ea consistat. Secundo, ratione coordinationis, quam habet superficies ultimo, et immediate, ambiens cum superficie primi locantis, quod est cælum. Tertio, ratione formalitatis termini motus, licet enim superficies, et corpus ambiens moveri possit in quantum corpus mobile est, sicut alia corpora locata, tamen ut exercet formalitatem termini a quo, qui deseritur,

vel termini ad quem, qui acquiritur, sub ista inquam formalitate mobilis esse non potest; esto secundum se, ut superficies corporis mobilis, ut non exercet officium loci, non repugnet moveri. Quæ ultima explicatio sumitur ex Philosopho V Phys. tex. IV, lect. I, apud D. Thomam, ubi eodem modo docet de loco, et de termino alterationis, et augmentationis, quod non moventur neque movent, ut termini motus sunt. Et hac ratione tam ipse locus extrinsecus, quam modus intrinsecus, seu ubi, in quantum termini motus immobiles sunt.

Secunda vero explicatio immobilitatis loci docetur a D. Thoma, opus. LII, et præsertim IV Phys. lect. VI, ubi inquit: « Quod cum locus proprius sit pars loci communis, oportet accipere proprium locum navis in aqua fluminis, in quantum habet ordinem ad totum fluvium, ut est immobilis. » Et subdit: « Sic igitur licet hæc pars aeris, quæ continebat, vel hæc pars aquæ effluat, et moveatur in quantum est hæc aqua, tamen secundum quod habet hæc aqua rationem loci, scilicet situs et ordinis ad totum sphericum cæli semper manet; sicut etiam dicitur idem ignis manere quantum ad formam, licet secundum materiam variatur, consumptis et additis quibusdam lignis. » Itaque superficies ultima, quæ adæquatur locato, continet et ambit illud, ut subordinata primo locanti, et ambienti, quod est cælum. Et sic licet succedant diversæ superficies ambientes locatum, quia tamen succedunt in eadem subordinatione ad primum locans, quod est cælum, dicitur manere idem locus non secundum rationem superficiei absolute, sed ut locantis ex subordinatione ad primum locans, sicut dicitur manere idem ignis, licet paulatim consumatur una materia, et succedat alia, quia semper

succedit sub eodem ordine ad formam, et licet ipse ordo, ut est relatio quædam entitative considerata, varietur in ipsa materia, vel superficie, in qua fundatur, tamen hoc non tollit absolute loquendo unitatem loci seu immobilitatem (idem est enim immobilitas, et unitas in præsentia) quia solum variatur ordo entitative, et materialiter ex parte subjecti, non ex parte termini formalis, et continuationis sub eadem forma, et sub eodem primo locante, sicut est idem fluvius, et idem animal, licet partes succedant.

Denique, prima explicatio immobilitatis loci ex eo constat, quia locus necessario supponit aliquam distantiam negativam, quam repleat. Quando enim productum ex hoc universum replevit positive, quod solum negative erat distans, et spatium capax corporis. Unde cum succedat diversæ superficies in illo eodem spatio habent immobilitatem præsuppositam ratione illius spatii negativi, quod occupant, et replent; hoc enim semper est immobile.

Ex quibus solvuntur aliquæ objectiones, quæ fieri solent contra immobilitatem loci. Primo, quia nihil est in loco, quod non sit mobile, superficies enim movetur, et distantia, quæ est relatio subjectata in illa. Quod si terminus ipse ad quem est ista relatio distantie non movetur, hoc est dicere, quod locus solum terminative est immobilis, non subjective, et tamen Philosophus dicit, quod locus est superficies immobilis prima. Ergo in ipsa superficie ultimo continente ponenda est immobilitas, et non solum in termino, vel in primo locante. Imo ipsum primum locans, quod est cælum cum perpetuo moveatur non potest dici, quod est immobile, et circumdans, et ambiens.

Secundo, quia si locus est immo-

bilis positive in ratione superficiei sequeretur, quod posset aliquid moveri non mutato loco; posset etiam aliquid mutare distantiam non variato loco. Denique, posset immotum manens mutare locum, quæ omnia absurda sunt cum idem sit moveri, et mutare loca, vel a converso. Primum patet, si aliquis deferatur in navi, et æqua velocitate moveatur in partem contrariam, non mutat locum respectu distantie polorum, et centri, et tamen movetur. Ergo potest aliquid moveri non mutato loco. Secundum patet, si Deus totum universum moveret per spatium imaginarium, corpora intra universum mutarent respectum et distantiam versus illam partem, licet in se immota manerent. Tertium patet, si Deus auferret unam superficiem ambientem turrim reliquo vacuo, et postea aliam distinctam subrogaret, turris esset immota, et tamen mutaret locis, quia diversa superficies non continuata ambi- ret illam, ergo diversus esset locus.

Ad primam objectionem respondetur in primis non militare contra tertiam explicationem immobilitatis loci, quia licet corpus illud, et res quæ locationi deservit, mutari possit, tamen formalitas et officium loci, quatenus est terminus qui deservitur, vel acquiritur non moveatur, ut autem procedit contra secundam explicationem, dicimus ex D. Thoma iv Physic. lect. vi, ubi hoc argumentum solvit, quod superficies, et quidquid in superficie est, variatur ut superficies est, sed non ut locus, id est, non secundum ordinem, vel situm in toto immobili: quod est totum universum. Quare locus non est immobilis et unus, nisi unitate ordinis, non unitate simpliciter et omnibus modis, quatenus omnes superficies sub eadem coordinatione et termino ad

primum locans succedunt. Et quando dicitur, quod hoc non est, locum esse immobilem subjective, sed terminative, respondetur, quod locus non dicitur subjective immobilis absolute, sed secundum unitatem ordinis in ipso subjecto, ut dicitur habitudinem ad illum terminum, et ut subest illi, sicut ignis dicitur idem numero, propter continuationem materiae sub eadem forma, et fluvius idem numero propter continuationem aquæ in eodem discursu. Ita locus dicitur idem, et immobilis, quatenus coordinatur sub eodem termino et situatione. Quando autem Philosophus dicit, quod locus est superficies immobilis prima, ly prima designat superficiem ultimam et immediatam ipsi locato (corrupte enim aliqui legunt immobilis primo, cum textus dicat immobilis prima) insinuans per hoc, quod superficies ulla non induit rationem loci, nisi prout induit modum immobilitatis, hoc est, non secundum se, sed ut subest termino fixo et immobili, et ut exercet officium loci, qui per motum acquiritur vel relinquatur. Et licet cælum ipsum, quod est primum locans moveatur, tamen quia non secundum se totum movetur, sed semper in eodem situ manentibus etiam immotis punctis polaribus, ideo semper datur aliquid, respectu cuius locus sit immobilitate ordinis, licet non absolute.

Ad secundam negatur sequela; et ad primam probationem respondetur quod in illo casu ille non movetur motu progressivo, et recto, sed solum elevat pedes, et deprimit subintrante navigio, sicut qui saltat sursum, eo quod impetus navis deserentis, et velocitas æqualis in contrarium tendentis mutuo se impediunt, ne progrediatur ultra, sed solum, ut sub eodem distantia pedes elevet. Nec obstat, quod defatigatur, quia etiam motus ille quasi salta-

tionis sursum, et deorsum in eodem loco defatigare potest. Ad secundam dicitur, quod si totum universum moveretur a Deo, omnia quæ intra illud sunt, etiam moverentur motu proprio. Ad tertiam respondetur quod in illo casu mutatur locus, de reali in imaginarium, et e contra, non secundum diversum situm, et distantiam; et ideo res locata manet immota, et solum corpus ambiens mutatur alio corpore non succedente. Quando autem succedunt diversæ superficies in eadem distantia, tunc mutantur res exercentes officium loci, non ipsa formalis ratio loci, et officium ejus ut dictum est, sicut artifex quod in eodem opere faciendo mutat diversa instrumenta.

Quod si inquiras, an locus naturalis addat aliquid supra locum communiter dictum, respondetur ex D. Thoma opuse. iii, et iv Physic. lect. viii addere virtutem conservativam, seu formativam locati, quæ virtus derivatur a cælo tanquam a primo locante, quatenus secundum majorem vel minorem distantiam a cælo, et ab aspectibus planetarum corpora inferiora recipiunt convenientes, et proportionatas influentias: quædam enim sunt, quæ requirunt majorem calorem, aliæ minorem, aut similiter humiditatem, aut siccitatem, vel alias similes, qualitates, quæ secundum diversam situationem, et distantiam a cælo, diversimode distribuuntur, et temperantur, et ideo locus tali temperamento præditus a tali locato appetitur, ut conveniens, præsertim secundum naturam elementi prædominantis; conservatio enim elementorum maxime intenditur a natura in universo.

Ex his manet soluta tertia difficultas, scilicet an ista definitio loci

sit per genus, differentiam, an per subjectum, et accidens. Respondetur enim, quod superficies non potest esse genus loci, cum superficies sit species quantitatæ continuæ habens positionem in illa; locus autem est extrinsece mensurans, et quantum per accidens, ut ex D. Thoma v Met. lect. xv, diximus in Logica, q. xvi. Quare locus non ponitur subalternatim sub superficie, sed superficies est subjectum ejus, per se tamen et necessario requisita materialiter; et ex parte subjecti, sicut alium per se ex parte subjecti requirit corpus: qua ratione intelligitur D. Thomas in ii dist. xii, qu. i, art. v ad 2, ubi dicit: « Quod locus per essentialitatem est superficies corporis locantis. » Potest tamen reduci ad definitionem metaphysicam, dicendo: « Quod locus est immediatum continens, seu ambiens immobiles. »

Si petas, quænam sunt prioritates loci, respondetur quatuor poni a Philosopho in hoc libro primo continere locatum (scilicet actualiter) secundo esse æquale locato (scilicet æqualitate contigui, tertio quod locus tanquam deficiat locato, quarto quod in omni loco invenitur sursum, et deorsum. Addunt alii, quod locus sit extrinsecus terminus motus, et quod locus et locatum possint separari, et tandem quod locus sit conservativus locati, quod pertinet ad locum naturalem.

ARTICULUS II.

Quid sit ubi, seu locus intrinsecus?

Nomine ubi intelligimus id, quod acquiritur seu ponitur in locato, ex eo, quod subjicitur loco extrinseco: de quo aliqua attingimus in Logica q. xix, et alia ad hunc locum reservavimus. Præcipue vero tractanda sunt tria. Primum, quid sit hoc ubi.

Secundo, in quibus sit. Tertio, quotplex sit?

Circa primum est advertendum quod præcipue colligimus dari hoc ubi ex ipsa motu locali, per ipsum enim motum acquiritur aliqua distantia, seu præsentia in qua constituitur mobile: et cum subjectetur in mobili, oportet quod in eodem subjectetur aliquis terminus motus. Est enim motus fieri, seu via ad aliquem terminum: ergo si est ipsum fieri, oportet ponere aliquid factum esse, cum motus non sit præter res, ad quas est motus. Similiter non potest intelligi, quod aliquis moveatur ad locum, nisi in se immutetur, et subiciatur, seu applicetur ipsi loco: quæ subjectio, et applicatio ad minus importat novam aliquam relationem ad locum cui de novo subicitur, quæ antea non erat in corpore quando non erat applicatum tali loco: nova autem relatio novum exigit fundamentum proximum, et hoc est ipsum corpus secundum se; quia hoc est indifferens, ut sit in hoc loco, vel absit illo. Ergo est aliquid superadditum corpori, et hoc vocamus ubi, quo aliquid corpus afficitur modo applicationis, et subjectionis ad extrinsecum circumscribens, quod est locus. Itaque ex his duobus principis, scilicet ex motu, et relatione conjunctionis, seu applicationis ad locum colligimus dari ubi.

Ex quo colligitur, quod ubi circumscriptivum non potest esse modus aliquis absolutus omnino independens ab omni extrinseco. Quod aliqui ita explicant, quod ubi nec dependeat a spatio imaginario, nec a spatio vero, seu a corpore extrinsecus circumscribente, nec a punctis finis universi; sed definiunt ubi: *Quod sit modus immobilis corporis mobilis.* Alii vero explicant ubi saltem per ordinem ad distantiam aliquam, seu spatium imaginarium,

seu ad puncta fixa universi; non tamen per ordinem ad corpus circumscribens, cum sine illo possit reperiri ubi; sicut et motus ulpatet, quando aliquid movetur in vacuo. Quam tamen dependentiam negat prima sententia, quia non potest ubi dependere, et habere connexionem cum spatio imaginario, quia est nihil et aliquid fictum.

Cæterum prima sententia omnino est in intelligibilis quia vel existimat ubi esse modum immobilem, quia non moveatur etiam terminative, id est, tanquam terminus, qui acquiritur, vel deseritur per motum: vel quia non movetur subjective, quia licet amittatur, vel acquiratur non tamen tunc movetur, quia non fertur cum ipsa re, quæ movetur. Primo modo constat ubi non esse modum immobilem, cum acquiratur de novo, quando aliquid movetur ad locum, et amittatur, cum recedit, a loco. Secundo modo certum est, quod ibi non movetur, sed corpus est, quod movetur acquirendo, vel relinquendo ubi: oportet tamen reddere causam hujus immobilitatis, quæ non est alia, nisi quia ubi constituit corpus in tali spatio, seu distantia, neque indifferenter se habet tale ubi ad diversa spatia. Et sic cum spatium sit immobile, etiam ubi, quod d tale spatium determinatur, immobile dicetur. Ergo non potest ut poni omnino independens ab omni extrinseco, sive sit spatium negativum, sive positivum.

Secunda vero sententia in eo deficit, quod non distinguit in ubi circumscriptivo id, quod circumscriptivum est, et id quod est definitiva, et determinatæ præsentia. Ut enim circumscriptivum sit, necessario dependet ab aliquo circumscribente, ut autem præcise definitivum, et determinatum sit, non requiritur corpus circumscribens, sed sufficit

limitatio in se, quia ita fit hic, quod non alibi. Ut autem positive alteri coordinetur, requiritur respectus aliquis ad locum, vel corpus separatum, seu remotum, respectu cuius motus localis possit acquirere propinquitatem aliquam, vel distantiam positivam, licet non circumscriptivam: qua ratione salvabimus motum localem in vacuo questione sequenti, ratione positivæ distantia, vel propinquitatis. Quod si nec ista possit acquiri, quia non datur aliquid aliud corpus respectu cuius detur positiva distantia, vel propinquitas, neque circumscriptio, cessabit omnis motus positivus.

Unde patet ad fundamenta opposita. Dicitur enim ad fundamentum primæ sententiæ, quod ubi non dependet a spatio illo negativo ut a causa, vel constitutivo, sed ut a negatione necessario prærequisita, eo quod non potest inveniri distantia aliqua positiva extensa, nisi replendo distantiam negativam, et sic supponendo illam; ubi autem necessario importat ordinem ad distantiam, sicut etiam homo necessario requirit negationem equi, et fides negationem evidentia, quæ est obscuritas, et materia prima negationem ulterioris subjecti.

Ad fundamentum secundæ sententiæ dicemus amplius questione sequenti tractando quomodo fiat motus in vacuo. Sufficit nunc dicere, quod remoto corpore circumscribente, non remanet ubi circumscriptivum adequate, et formaliter, ut circumscriptivum est: potest tamen manere inadæquate et secundum quid, secundum quod importat ordinem propinquitatis, vel distantia ad corpus non circumscribens, eo quod motus non solum est ad locum, sed etiam circa vel prope locum, ut ex D. Thoma opuse. LII, dicemus.

Circa secundam difficultatem, sci-

licet in quibus reperiat ubi, potest esse difficultas tam respectu diversorum subjectorum, quænam sunt capacia habendi ubi, quam respectu unius, et ejusdem rei; an omnia quæ sint in aliqua re, sive accidentia, sive partes habeant diversa ubi, an sufficiat unum, ut sint in loco. Et quantum ad primum, dependet ex dicendis sequenti articulo ubi inquiramus, quænam res sint in loco, illa enim habebunt ubi.

Circa secundum, quidam affirmant, tot dari ubi in corpore, quot entia, ut ex P. Suarez disp. LI Met. sect. v, et Valentia III par. disp. VI, q. IV, punct. I, et ex aliis asserit Cabero hic disp. II, dub. III, idque deducunt ex motu, quia omnia illa movetur, sive per se, sive per accidens, ergo omnia acquirunt ubi, quod est terminus talis motus: et deinde, quia si omnes qualitates separantur a quantitate, quælibet haberet suum ubi, ergo etiam modo quando sunt illi conjunctæ.

Nilominus, cum omnia, quæ in alio corpore continentur sint in loco mediante quantitate, ut docet S. Thomas in IV, dist. X, qu. I, art. I ad 3, et dist. XLV, qu. II, art. II, quæst. V, et quodl. VII, art. VIII, dicendum est, quod sicut sufficit una quantitas extendere omnes partes, et accidentia, quæ sunt in subjecto, ita sufficit unico ubi commensurare ea loco, quia ubi est modus resultans ex circumscriptioe loci in re locata; ergo ubi est tantum una circumscriptio, et extensio ad locum, quia est tantum una quantitas in re circumscripta, tantum resultabit unum ubi. Quod si dicas, esse diversam rationem de quantitate, et de ubi, quia quantitas non potest multiplicari in eodem subjecto, alias essent plures quantitates penetrative: et similiter quantitas est accidens reale, quod potest afficere omnes partes materia. At vero plura

ubi non important penetrationem aliquam, et cum sit modus, non potest identificari cum pluribus rebus distinctis. Contra est, quia ubi non identificatur immediate nisi cum quantitate, eo quod ubi circumscriptivum non convenit alicui, nisi ut quantificatum est, quantitas autem est una pro omnibus, quæ extendi possunt in subjecto, ergo et idem ubi; sicut quia figura est modus quantitatis, eadem sufficit pro omnibus partibus figurati, cum quibus non identificatur ille modus nisi mediate, et per quantitatem. Et magis urgetur, quia res sunt in loco mediante ultima superficie, qua contiguantur et tangunt locum ambientem, hæc autem superficies ultimo tangens una est, et denominat omnia quæ in corpore sunt, ut dicantur locata seu tacta per illam, ergo et unicum ubi hujus superficiei sufficit, ut denominentur omnia ubicata. Et præsertim hoc apparet in anima nostra, quæ spiritualis substantiæ est, et in accidentibus supernaturalibus, quæ in ea sunt: ex motu enim corporeo quo movetur homo, non potest produci ubi spirituale, vel supernaturale, cum motu corporeo solum producat ubi corporeum, quod cum substantia spirituali, et entitate supernaturali identificari non potest: et tamen ista moventur per accidens nobis motis: ergo ad motum per accidens non requiritur distinctum ubi.

An vero etiam in corpore Christi sacramentato detur motus per accidens, et ubi per accidens, quando movetur hostia? Respondetur ex D. Thoma III par. qu. LXXVI, art. vi, et in IV, dist. x, qu. 1, art. III, quaestione. IV, quod duo sunt modi essendi in loco, et acquirendi locum per accidens. Uno modo, quia licet aliquid sit in loco per se, sed tamen movetur ad motum alterius, ut

quando fertur in curru, vel in navi, et hoc modo Christus non movetur per accidens ad motum hostiæ, quia Christus non est ibi tanquam in loco, neque ille motus potest producere ubi indivisibile, et sacramentale, sed corporeum, et divisibile in hostia, cui conjungitur corpus Christi, sicut Angelus lapidi, qui movetur. Alio modo movetur aliquid per accidens, quia nec movetur per se, nec est in loco per se, sicut dicuntur moveri formæ, etiamsi spirituales sint conjunctæ corporibus, et hoc modo movetur Christus per accidens in Sacramento. Hæc enim supponuntur non esse circumscriptive per proprium ubi, sed per alienum, et per conjunctionem ad alterum.

Ad fundamenta opposita patet ex dictis. Dicitur enim ad primum omnia illa, quæ per accidens sunt in loco moveri per accidens, et ad motum alterius; et sic si habent eandem quantitatem, etiam eodem ubi commensurantur loco illoque afficiuntur mediate, sicut quantitate. Ad secundum respondetur quod qualitates et aliæ formæ, separata quantitate non afficiuntur ubi circumscriptivo, nec per se, quia carent quantitate, nec per accidens quia non conjungitur alicui habenti quantitatem. Quare, vel non erunt in loco, vel alio modo indivisibili, sicut res spirituales, vel alio modo præsentia nobis incognito, ad istum tamen reducibili.

Circa tertiam difficultatem, scilicet quotuplex sit ubi, supponendum est, quod cum ubi dicat modum existendi in loco, eo modo dividendum est ubi, quo ipsa ratio existendi in loco. Constat autem non omnem præsentiam constituere ubi, sicut patet de præsentia solius unionis, sicut anima est præsens corpori, et divinitas Christo, neque enim dicuntur præsentia ratione ubi, sed

ratione unionis. Quia ergo præsentia ubicabilis dicitur per ordinem ad locum, et secundum D. Thomam I p. q. LII, art. 1, esse in loco dicitur æquivoce de corporibus, et spiritibus, quia spiritus sunt in loco non ut commensurati, et subjecti loco, sed ut subjicientes sibi locum: ideo ubi æquivoce dicitur de ubi spirituali, et de ubi corporeo. Itaque si sumatur ubi in communi pro quacunque præsentia ad locum, sic dividi solet in circumscriptivum, et diffinitivum, et supernaturale, seu sacramentale. Omittimus autem præsentiam Dei ad loca; tum quia non est creata, neque prædicamentalis, sed substantia Dei, tum quia non est ubi, sed ubique. Ubi circumscriptivum definitur quod est *circumscriptio passiva corporis a circumscriptioe activa loci proveniens*. Ubi definitivum est illud, *quod ita ponit determinate in una parte mundi, quod non in alia*; ut explicat S. Thomas opusc. XLVIII, tract. de ubi, c. 1, non tamen tale ubi ab aliqua commensuratione, vel subjectione ad locum provenit. Ubi sacramentale, est *modus ille indivisibilis qui convenit corpori Christi secundum præsentiam ad species sacramentales*, qui supernaturalis est quantitati Christi, eo quod supra corporis naturam est esse præsentem non localiter, sed indivisibiliter, nec ab aliquo principio fieri potest, non tamen est illa præsentia definitiva, ut S. Thomas docet in IV, dist. x, q. 1, art. III, q. II, quia non ita determinatur ad istas species, quod non sit in aliis, sed ubicunque est panis ibi potest esse; vel ubicunque Deus velit convertere aliquid in ipsum, et sic non dat præsentiam definitam, sed quia caremus alio nomine, vocamus sacramentalem. Et quia supernaturalis est, ad illam reducimus omnem aliam præsentiam, seu alia ubi, quæ supernatura-

liter a Deo possunt tribui rebus creatis.

Propter hæc solet ubi circumscriptivum dici a D. Thoma opusculo citato proprie esse ubi; et similiter in I, dist. xxxvii, qu. III, art. 1 ad 1, dicit: «Quod rei incorporeæ proprie non convenit esse in loco.» Alia ergo quæ dicuntur ubi, solum proprie dicunt præsentiam rei ad locum, sed non proprie dicuntur ubicare, quia ubicatio importat præsentiam, ut mensuratam loco, et ponentem distantiam, vel propinquitatem in re locata respectu aliorum, qui modus ubicationis in ubi spirituali non invenitur. Et sic, sicut actio prædicamentalis proprie dicitur illa, quæ infert passionem, licet in quantum causalitas agentis etiam conveniat actioni non inferenti passionem, sed præcise producenti effectum, et sicut *quando*, proprie non dicitur de quacunque duratione, sed de duratione temporali, qua aliquid secundum diversam successionem mensuratur, et quondatur. Ita non dicitur proprie ubicari aliquid per quacunque præsentiam ad locum, sed per illam, qua commensuratur loco, et qua secundum mensurationem distantia, vel propinquitatis positivæ distinguitur.

ARTICULUS III.

Utrum omnibus corporibus conveniat esse in loco, et habere ubi?

Supponimus nullum corpus comparari ad locum commensurative, nisi mediante quantitate, et modo proprio quantitatis; remota autem quantitate, vel modo extensivo illius, res non commensuratur loco; unde dicit D. Thomas in IV, dist. x, q. 1, ad 5: «Quod nullum corpus comparatur ad locum, nisi mediantibus dimensionibus quantitatis.» Quare si remota quantitate aliqua substan-

tia conservaretur a Deo, sicut modo corpus Christi sine modo quantitatis ponitur in Sacramento, tale corpus non erit in loco, sed manebit ut pars universi sine loco; sicut corpus Christi non est in loco per proprias dimensiones, sed per quantitatem hostiæ. Et sic dicit Augustinus epist. LVII: « Quod si tollantur spatia a corporibus nullibi erunt, et quia nullibi erunt, neque erunt, » intelligitur enim, quod non erunt quantum est ex natura sua, nisi a Deo conserventur.

Ex quo colligitur. Primo, quod corpus positum in vacuo aut extra totum universum non est in loco; non quidem defectu extensionis propriae, sed defectu extensionis circumscribentis, sine circumscriptione enim non datur locus positivus. Quid autem acquiratur per motum localem in vacuo, dicemus quaestione sequenti. Secundo, colligitur punctum separatum non esse per se in loco, caret enim quantitate, et illud dicitur per se esse in loco, quod potest per se loco moveri; punctum autem non potest per se moveri loco, ut dicemus infra quaest. XX, articulo ultimo quia correspondet tantum indivisibili loci: si autem moveretur per se, immediate post corresponderet alteri indivisibili; non dantur autem duo indivisibilia immediate. Solum ergo punctum est per accidens in loco ratione partium, quæ ponuntur in loco.

Tertio, colligitur solum id esse per se in loco, quod per se afficitur quantitate; et sic formæ, sive substantiales, sive accidentales non sunt in loco per se, sed per accidens ratione totius, in quo sunt, et quantitatis, non afficiuntur in ipso toto. Et sic D. Thomas IV Physic. lect. VII, circa text. XLV, inquit: « Quod quædam sunt in loco per accidens, sicut animæ, et omnes formæ; et idem

habet in IV, distinct. X, quaest. I, art. III, quaest. IV, et sic diximus precedenti articulo, quod ea quæ afficiuntur unica quantitate unicuique habent ubi afficiens immediate ipsum totum, cui, primo, et per se convenit quantitas, mediate autem, et per accidens illa, quæ tali toti conveniunt, et quantitate afficiuntur. Sicut etiam convenit eadem figura, et situs toti, et partibus, quia figura, situs, et ubi, seu circumscriptio sunt modi ipsius quantitatis, et sic afficiunt, et variantur uti non variantur eo modo, quo quantitas. Si quid vero existit unicuique corpori, quod quantitate non afficitur, nec mediate, nec immediate; sicut quilibet spiritus unitus corpori, vel tanquam forma, vel tanquam agens, vel sicut corpus Christi est in Sacramento, motu illo corpore dicitur moveri per accidens, non quia ex vi talis motus acquirat, vel amittat aliquid ubi spirituale, cum hoc fieri non possit ex vi motus corporis, sed solum ratione concomitantie dicuntur moveri, eo quod ex vi suæ unionis dicuntur esse, ubi est corpus cui uniuntur; non autem per participationem effectus formalis circumscriptionis, seu existentie in loco. Et sic in se non mutant presentiam ubicalem, sed continent unionem ad corpus, quod mutat locum, et distantiam, ex se autem nihil distantie, aut extensionis, vel ubicationis habent, de quo videatur D. Thomas citato loco, dist. X, q. I, art. III.

Inter corpora ergo per se habentia quantitatem modo divisibili extenso, solum est difficultas, quomodo ultimum corpus totius universi existat in loco, quod antiqui existimarunt esse primum mobile: nos autem intelligimus esse cælum empyreum. Nam ex una parte videtur esse in loco, quia movetur loco, vel saltem moveri potest a Deo. Ergo

debet esse in loco, per motum enim localem locus acquiritur. Ex alia vero parte non circumscribitur, neque continetur loco, quia est ultimum continens omnia; ergo non est in loco circumscriptive. Nec potest dici, quod est in loco ratione centri circa quod movetur, vel superficie corporis inferioris, quod immediate tangit. Hoc enim non est esse in loco circumscriptive, sed circa locum, quod etiam potest habere corpus positum in vacuo; corpus enim inferius positum circumscribitur, non circumscribit.

Nos autem inquirimus, quomodo cælum illud sit in loco circumscriptive.

In hac difficultate aliqui sentiunt ultimum corpus non esse in loco, neque per se, neque per accidens, sed solum replere spatium imaginarium; quod etiam aliqui recentiores sequuntur. Alii locum tribuerunt cælo, sed quia locus est immobilis, quidam assignaverunt centrum pro loco cæli, quia immobile est. Alii attendentes ad superficiem, quæ etiam pertinet ad locum, dixerunt superficiem inferiorem cæli esse locum ejus. Cui tamen non convenit circumscribere, sed circumscribi.

Igitur sententia Aristotelis in hoc libro, cap. V, sentit ultimam spheram esse in loco per accidens ratione suarum partium, quæ tamen non sunt actu in loco, sed potentia, quod est dicere cælum simpliciter non esse actu in loco, sed potentia, quod sufficit, ut possit moveri motu circulari. Dicuntur autem partes cæli esse in loco in potentia, quatenus omnes existunt in continuo una post aliam, et una unitur alteri in circulo; et ratione hujus continuationis, seu concatenationis una continet aliam continuatione, non circumscriptione, quia divisa et contigua non est: et ideo solum in po-

tentia dicuntur illæ partes esse in loco, quia ut sint actu circumscriptæ una ab alia, solum deest illis divisio, quæ reddantur contiguæ illæ, quæ sunt continuæ. Ita docet Philosophus citato loco ubi inquit: « Quod cum id, quod est similium partium, continuum est, tum partes potentia sunt in loco; sed cum sunt separate, atque ut in cumulo fit, se tangunt, tum in loco sunt actu. » Et subdit: « Cælum autem non est alienubi totum, neque est ullo in loco, si nullum ipsum continet corpus, sed quo movetur, hoc et locus est partibus; alia namque partium, alii hæret; alia vero per accidens, ut anima, atque cælum. Omnes namque partes quodammodo sunt in loco, circumquaque enim alia aliam continet; » ubi aperte docet partes cæli non absolute esse in loco, sed quodammodo, quatenus una continet, seu cohæret alteri: et tamen quia istæ partes sunt actu in continuo, et non separate, ideo non sunt actu in loco, ut circumscripta, sed sunt in potentia in loco, quia possunt dividi, actu autem continuæ sunt, non contiguæ. Idem docet D. Thomas in hoc libro, lection. VII et opuseul. III. Itaque in cælo non possumus considerare, nisi vel quod est supra ipsum, seu extra ipsum, vel quod est infra ipsum, et ab eo contentum, vel quod est in ipso, ut partes ejus. Non potest dici, quod ultimum cælum sit in loco, quia supra, vel extra ipsum detur aliquid corpus continens, cum ipsum sit ultimum; neque quod sit in loco, quia intra ipsum detur aliquid contentum: hoc enim potius est locatum ab eo, quam locus ejus; et idem est de centro, quod etiam non est continens ipsum cælum, neque actu, neque potentia: est autem contentum non potentia, sed actu. Relinquitur ergo quod dicitur esse per accidens in loco, et